Salvete, carissimi lectores eius libri!

Hic videtis Max et Moritz, duos pueros claros.

Vidua Bolte, magister Lämpel et patruus Fridericus Max et Moritz pueros malos vocaverunt, quod permultas res malas in illo praeclaro libro liberis scripto fecerunt.

In libro nostro Max et Moritz Moguntiam, urbem pulcherrimam ad Rhenum fluvium sitam, visitant.

Moguntia in urbe est INSTITUTUM BEATAE MARIAE VIRGINIS, quod cottidie a multis discipulis magno cum studio visitatur. Nonnullae discipulae artem musicam amant et cum Matthia, magistro artis musicae, pulchrum certamen musicum praeparant.
Max et Moritz id certamen musicum visitare constituunt. Sed ipsi videte, quid acciderit...



Aliquando Max et Moritz Moguntiam, urbem ad Rhenum fluvium sitam visitare constituerunt, nam eam urbem claram plenam monumentorum pulchrorum esse audiverant. Publico curru electrico ad campum Friderico Schiller poetae dedicatum vecti sunt. Ibi currum reliquerunt et monumento Friderico Schiller poetae dedicato appropinquaverunt. Subito permultas puellas sibi obvenire viderunt. „Ecce, Moritz! Unde tot puellae veniunt?" Max amicum interrogavit. – „Nescio, Max", Moritz respondit, „sed inveniemus id aedificium, quod eae puellae modo reliquerunt."

Transcucurrerunt praeter puellas et mox ante portam magnae scholae constiterunt. Post portam scholae multae puellae parvae in magna area pila luserunt. -Moritz dixit: „Omnes puellas, quae modo nobis obvenerunt, hanc scholam adire puto. Videsne umquam discipulos, Max?" -Max verba amici neglexit, sed dixit: „Ecce, Moritz, moderatrix eius scholae in eo edicto nuntiat discipulas cum magistro artis musicae cras certamen musicum facere velle. Sed certamina musica, quae solum puellae faciunt, molesta et putida sunt. Huic certamini musico interesse et puellas in cantando adiuvare debemus."

Meridie Max et Moritz apud magnum stagnum convenerunt. In eo stagno permultae ranae natabant et magna voce coaxabant. Aliae ranae in foliis herbarum aquaticarum sedebant et calore solis delectabantur. Statim Max et Moritz multas ranas capere instituerunt et ranas captas in magna cista collegerunt. – Ranae, quae in stagno natabant, de vita gaudebant et magna voce cantabant:

„Hodie ranae canunt carmina,
gaudent et saltant et sunt sub aqua."

Etiam ranae captae, quae tristi vultu in cista sedebant, carminibus aliarum ranarum interfuerunt. – Max et Moritz praeda contenti erant. Max iubilavit: „Captas ranas in Institutum Beatae Mariae Virginis portabimus easque in certamine musico discipularum liberabimus. Nonne putas ranas lubricas discipulis magistrisque magnum timorem inicere posse? Gaudebo, si visitatores certaminis musici mensas et sellas ascendent. Visitatores id certamen musicum semper memoria tenebunt."

Hora vespertina Max et Moritz ranas captas in atrium scholae portaverant et cistam ranis completam aperuerant. Primo auditores certamine musico delectati erant, quia ranae cistam nondum reliquerant. Tum Stella discipula in sella ante clavicymbalum sita consederat, quod auditores carminibus pulchris Schubert compositoris delectare voluerat. Carmina ranis placuerant et celeriter animalia capta e cista prosiluerant.
Primo spectatores hospites non invitatos non animadverterunt, sed tum ranae certamini musico interesse et recitationem Stellae discipulae vocibus raucis adiuvare constituerunt. – Clamor ingens ortus est, quia magistri parentesque discipulaeque exultaverunt et magna voce clamaverunt. – Sellae per auras volaverunt, ranae per totum atrium saltaverunt et spectatoribus taedio erant. Pars discipularum ranas horrebat, sed maxima pars discipularum certamen musicum finem inexspectatum habere gaudebat.
Max et Moritz, qui in primo ordine sedebant, vehementer ridebant et gaudebant de tumultu ingenti, quem fecerant.

– Finis –